

Het Elysium (Verg. Aen. 635-678)

Occupat Aenēās aditum corpusque recentī 635
spargit aquā rānumque adverso in līmine fīgit.
Hīs dēmum exāctīs, perfectō mūnere dīvae,
dēvēnēre locōs laetōs et amoena virecta
fortūnātōrum nemorum sēdēsque beātās.
Largior hīc campōs aethēr et lūmine vestit 640
purpureō, sōlemque suum, sua sīdera nōrunt.
Pars in gramineīs exercent membra palaestrīs,
contendunt lūdo et fulvā luctantur harēnā;
pars pedibus plaudunt choreās et carmina dīcunt.
Nec nōn Thrēicius longā cum veste sacerdos 645
obloquitur numerīs septem discrīmina vōcum,
iamque eadem digitīs, iam pectine pulsat eburnō.
Hīc genus antīquum Teucrī, pulcherrima prōlēs,
māgnanimi hērōēs nātī meliōribus annīs,
Īlusque Assaracusque et Trōiae Dardanus auctor. 650
Arma procul currūsque virum mirātur inānīs;
stant terrā dēfīxae hastae passimque solūtī
per campum pāscuntur equī. Quae grātia currum
armōrumque fuit vīvīs, quae cūra nitentīs
pāscere equōs, eadem sequitur tellūre repostōs. 655
Cōnspicit, ecce, aliōs dextrā laevāque per herbam
vescentīs laetumque chorō paeāna canentīs
inter odōrātum laurīs nemus, unde supernē
plūrimus Eridanī per silvam volvitur amnis.
Hīc manus ob patriam pūgnandō vulnera passī, 660
quīque sacerdotēs castī, dum vīta manēbat,
quīque piī vātēs et Phoebō dīgna locūtī,
inventās aut quī vītam excoluēre per artīs
quīque suī memorēs aliquōs fēcēre merendō:
omnibus hīs niveā cinguntur tempora vittā. 665
Quōs circumfūsōs sic est adfāta Sibylla,
Mūsaeum ante omnīs (medium nam plūrima turba
hunc habet atque umerīs exstantem suspicit altīs):
'Dīcite, fēlicēs animae tūque optime vātēs,
quae regio Anchīsēn, quis habet locus? Illūs ergō 670
vēnimus et māgnōs Erebi trānāvimus amnis.'
Atque huīc respōnsum paucīs ita reddidit hērōs:
'Nullī certa domus; lūcīs habitāmus opācīs,
rīpārumque torōs et prāta recentia rīvīs
incolimus. Sed vōs, sī fert ita corde voluntās, 675
hoc superāte iugum, et facilī iam trāmite sistam.'
Dīxit, et ante tulit gressum campōsque nitentīs
dēsUPER ostentat; dēhīnc summa cacūmina linquunt.